

K. 4. 135.

1) Terentius, Gatosprache

notat 21 - 18)

JOHANNIS FRAXI-
NEI GOTHANI POE-
ta Coronati Oda: Kf 130

IN OBITVM

MEMORIAM QVE

NOBILISSIMÆ LECTIS-

SIMAE QVE MATRONAE, ANNAE

WERNAVIAE, antiquissimâ & cla-
riss: Crailsheimerorum Franc.

Milit. familiâ oriundæ,
viduæ,

PIE DEFUNCTAE:

A. C. N. CID ID XCI. IX. Cal.
Junii in Cast. Mörinsteinii ad
Faxum Fr. orient.



NORIBERGAE,

In officina typographica Gerlachiana,

JOHANNES FRANK
1781
in Frankfurt

IN OBITUM

MEMORIAM

NOBILISSIMAE LECTISSIMAE

SINAE MATRONAE ANNAE

WERNERAE, ANNO 1781

III: CAESARIS

MILITIAE

OBITU

IN OBITUM

ANNO 1781

IN OBITUM

OBITU



NORIMBERGAE

In officina typographica Gleditschiana

SEBASTIANO, IO-
HANNI ET ALBERTO CRAILS-
HEIMERIS, FRANCIS MILITI-
BUS, GERMANIS FRA-
tribus, V. nobilissimis
S. D.



Legimus in divinis, literis Crailsheimeri V. Cl. nobilissimiq̄ue, Iacobum illum ærumnosum patriarcham, cum jussu Dei ter Max: locum mutaret Sichemi, in itinere conjugem suavissimam Rahelem amisisse, illiq̄ue defunctæ pro tempore erexisse monumentum, Genes. 35. Quo facto Spiritum S. testatum voluisse accipimus: tantum virum nullo modo stultitiæ arguendum, quòd sumtus, ut videbatur, in conjugis memoriam faceret. Spes illum immortalitatis cujusdam & felicitatis, in hac ipsâ terrâ, unde mortalium Servator expectabatur, jamdudum occœperat. Nec animi illum fefellit sententia. Certò enim exploratum habebat, non modò conjugem venturi Seminis merito & sanguine expiatam immortalitatis decore ornatum iri: sed sibi omnibusq̄ue ad cœlestem vitam, patriamq̄; deputatis amœnissimum tandem portum restare, in quo felicissimè post hanc vitam acquiescerent. Ideoque lacrumis & fletu Rahelem prosequi, & epitaphio quodam ornare voluit. Quòd si nunc tantum virum in matronæ honorem, quam deperibat, monimenti excitati non puduerit; cur non idem faceremus? quandoquidem homines divini verbi luce destituti, Solone impulsore cognatis & adfinibus mortuis certis diebus inferias exhibuerint? Quapropter laudabilem illam consuetudinem, moremq̄; Christianos e statione hujus vitæ decedentes, vel gravi aliquâ oratione, vel politiori carmine orandi conservandum esse existimo: & præcipuè illorum præclaram famam atq; gloriam literis mandandam, quorum non modò illustris in Deum pietas, religio, ac fides in hâc vitâ animadversa perspectaque, sed & divina propè conversatio, familiaritas, & nobiscum vivendi ratio existit jucundissima. Hac de causa & ipse adductus, Odam in beatissimæ Sororis vestræ ANNAE VVERNAVIAE, matronæ sanctissimæ & castissimæ, non sine maximo nostri omnium luctu, dolore atque desiderio in cœle-

ste illud domicilium avocatae obitum, cepti adornare. Hoc enim
viventis promiseram : & insigniores hujus primariae feminae vir-
tutes meruerant : ut qualem Sororem habuissetis, & quale gen-
tis vestrae ornamentum amissum, etiam ad exteros fama literis-
que perveniret. Verissimum perhibui testimonium : & me nihil
auribus vestris dedisse, etiam illi, qui cum matrona familiariter
vixere, hoc idem adfirmaturi. Omnes siquidem illae virtutes,
quas in sancta, pudica, & religiosa vidua Sacrae literae postulant,
cumulatissime in tam praclaro Spiritus S. domicilio & sacrario
effulserunt. Habitantem quippe in se Christum possidebat : a quo
justitiae Sole anima erat illustrata. Nam, ut D. Augustinus loqui-
tur, conversa erat, ut illuminaretur, & conversione facta lumi-
nosa : & quidem ad aliud, quod non erat, hoc est, Deum illud
sempiternum lumen. Christum regem profitebatur, a quo rege-
batur : & sacerdotem cottidie invocabat, cujus sanctissimis car-
nis primitiis, omnes nostras impietates expiatis sibi certo per-
suasum habebat : hunc non extra nos, sed ipsius in membris esse,
sub hoc capite duci, uno Spiritu vivere, unamque patriam desi-
derare exultabat. Norat cum capite se palmitem : nullamque a
se habere justitiam : nisi illam, de qua divus Esaias cap. 61. &
Paulus tantopere gloriabatur : nempe perfectissimam obedi-
entiam in ara crucis praestitam, factamque per solutionem sangui-
ne, fide applicandam. Hac una regia veste, auro, gemmisque ve-
lut intertextata, vel Caesareo paludamento contra omnes inferos
triumphabat, & nullis praecedentibus meritis, sed praeviente
divina misericordia ad tantam dignitatem evectam, collatamque
sibi, cui debebatur vindicta, indebitam peccatorum indulgenti-
am, summis laudibus efferebat. Audierat ex fratre Iohanne, cum
quo de sacris lubentissime loquebatur, quemque in deliciis ha-
bebat, Dei se esse jumentum, & a Christo portari, duci, & sus-
tentari. Quare cum tenuissimam admodum esset valetudine, &
ab ineunte aetate usque ad proventiorem vitae cursum crudelif-
simis morbis divexaretur, crucem illam, calamitatemque dome-
sticam magna animi constantia, tolerantia, & patientia perfere-
bat. Unde & omnia illa, quibus in hac vita utebatur, praesidia,
tanquam stabulum viatoris cum D. Augustino ducebat, non tan-
quam domum habitatoris. Didicerat & illud, quod Deus opt-
er max. terrena haec & fugacia bona, quibus voluerit, & quan-
do voluerit, conferret : cum opportunè sciat, cui det, & non det :
quemadmodum & medicus in propinando pharmaco adhibere
soleat prudentiam, melius de morbo, quam ipse aegrotus, edo-
ctus.

Æus. Legerat & illud, multis adfulgere aurum, quibus non sit fides: quam si haberent, non tantum præsidii in ignavissimo idolo fovendo collocarent: totque inimicitias, lites & odia sustinerent. Quod ad alias miseras, quibus sancta ista matrona exercebatur, divinæ voluntati deputabat: seque ad patrimonium cæleste erudire dicebat. Quod si res huius tranquillæ, ad divinarum literarum pabulum se totam ablegabat: in his commorabatur: & consolationum flosculos decerpebat, & memoriæ mandabat. Capita quoque insigniora Esaiæ 53. Rom. 8. Ephes. & Coloss. 1. Philip. 2. sine ulla hæsitatione recitabat exactè. Nihil de elegantissimo illo corpore Matthæi Iudicis S. quondam Theol. Professoris: nihil de Divi Lutheri precationum formis jam dicam, huius inquam viri immortalia scripta cum fratre Iohanne demirabatur, & exosculabatur. His cottidianis animi meditationibus & exercitationibus post mariti obitum septem & viginti totos annos usa est: nullumque passa vicium in se conspectius animadverti; sed sobrietati, sed temperantiæ, sed pudori studens matronali, instar Hesperii fulsit, seque Christianam & vitâ & opere præstitit in omnes ordines. Illud magno sibi duxit solatio, quod hoc ipso tempore felicissimo nasci sibi contigisset, ubi puram Evangelii doctrinam arripere & haurire licuisset. Sed quid in his recensendis immoror? Lumen certè gentis vestræ, & insigne pudicitiae exemplum amisistis: immò in cælestem Academiam præmisistis. Equidem præclare & feliciter cum sorore actum est. Nam singulis momentis inter acerbissimos aliquot morborum sibi invicem succedentium conflictus, verâ in Mediatorem Iesum Christum fiducia se erigendo præparaverat; omnemq; victoriæ spem in victorem mortis, a quo mors prostrata, peccatum condonatum victumque, & draco ille tyrannus cum satellitibus sub jugum missus, collocatam habebat firmissimè. Noverat & in Iesu Christi cruce, à quâ omnis nostri gloria, vita & salus dependet, subtracta hostibus spolia & tropæa affixa: Seque non in postrema amoris lineâ apud æternum patrem hædere, ob solum redemptoris precium, à Mediatore in cruce tanquam staterâ appensum. Hac consolatione animum suum armârat, & oculos & ora in agnum Dei, victimam pro peccato totius mundi cæsam, conversa habebat matrona cottidiè, quoties cum Deo vel matutinis vel vespertinis precibus sola colloquebatur. Admirandæ itaque pietatis suæ in Deum, caritatis, humanitatisq; in omnis retulit fructus amplissimos: & quod sæpè in votis habuit, ipso die sacro, quo festum Spiritus S. celebrabamus, corporis erga-

stulo, & infinitis, quibus hæc nobilissima lectissimaque matrona toto vitæ curriculo conflictata calamitatibus liberata, in sempiternum illud animarum, spirituumque castissim. templum est profecta; ubi divinæ Majestatis gloriam contemplatur, & Christi Iesu veri hominis, Dei que faciem intuetur, eundemque laudat, sine defectu, sine aliquâ pœnâ iniquitatis, sine aliquâ perveritate peccati, ut loquitur Augustinus: Sui quidem maximo commodo impendentibus subducta periculis, desiderium verò sui multis adhuc relinquendo: quæ ad superna perlustranda palatia cervæ more festinabat. Norat enim ubi peregrinabatur: & quo ei transeundum etiam ardentius inflamabatur. Legebat etiam in Psalmis, quod ipse fons Christus, & lumen: & in hujus lumine verum sibi contemplandum lumen: inde & avidam animam scientiâ rerum divinarum saturare, & interiore luce cupiebat collustrare. Illuc inquam proficisci anhelabat, ubi festum sempiternum, chorus angelorum, voltus præsentia Dei, & lætitia sine defectu esset expectanda. Ad hoc beatissimum iter Soror vestra properabat, quoties semet coram Deo humiliando, & sibi displicendo ad sacrosanctum Domini corporis, & sanguinis accedebat epulum. Sic etiam singulis diebus sanctam animam ceu victimam in serâ sui emendatione immolabat: intusque precum thus habebat: & sacrificium Deo accendebat, spiritum nempe contritum, & sanguine Christi conspersum. Norat sub carne mortali, laboriosa, peccatrice, molestis & scandalis plenâ, concupiscentiis obnoxia militandum, & sibi certandum. Hac in lucta ad Spiritum S. advocatum confugiebat: hujus auxilium implorabat: & hac ratione a tentationum vinculis, & diaboli insidiis eluctabatur, & illud habebat in animo; regi Christo nupta: ab illo dotata: ab illo decorata: ab illo redempta: ab illo sanata. Quidquid habes, unde illi placeas, ab illo habes. Huic in corde meo locus paratus, heic sedet. His & similibus aphorismis, cum e Scriptura S. tum Divi Augustini voluminibus concinnatis valdè delectabatur, & inter corporis cruciatus se erigebat. De sede Dei in cordibus hominum piorum ita edocta: ut si homo à Deo ceciderit, Deus in se maneat: non cadat: non inveniendò ubi sit. Certò etiam credebatur Deum se sublevasse, ut in illo esset, & permaneret, quæ ex gratia hujus deificata: non tamen de substantiâ hujus nata; ut loquitur noster Aurelius: quando filii Dei, sive dî facti sumus, gratiæ hoc est adoptantis, non naturæ generantis. Quid plura scribam? Talem amisistis sororem, quæ regis nobilitata divitiis, Christi sponsam & vitâ & moribus

moribus exprimebat. Neque de hujus salute ambigendum: cum Dei consilio tot morborum incurfionibus infestata, ut incorruptibili hereditati, & quidem magnæ præpararetur. Ideoque suis dilectis corporis faginam subtrahit: ne corrumpantur: & quibus seipsum hereditatem Deus donaturus: hos durioribus nonnunquã flagellis solet corripere, ut sic Deum ipsum possideant, & ab ipso in æternum possideantur. Nam ideò atterit nos, ut sciamus, quia pater & dominus est, non solum blandiens, sed & flagellans. Immo quilibet Christianus ad Dei servitutum accedens, ad torcularia se venisse cognoscat: ait Augustinus: contribulatur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc seculo pereat: sed ut in apothecas Dei ceu generosum mustum defluat. Cur ergò sorori tot pericula, & infinitorum quasi malorum Oceanum transmissæ non congratulabimur? Optandum sanè esset, ut plures ejusmodi matronas haberemus: Sed raræ quippe bonæ. Et quod Venusinus Poëta canit: Virtutem incolumem odimus: sublatam ex oculis quærimus invidi: idem opinione citius futurum experiemur, Nam tùm demum nostra bona intelligimus, cum ea, quæ habuimus, amiserimus. Quòd verò Sororis laudes attigerim, non illustraverim, ut merebatur, factum est hoc gratitudinis, officiorumque vi, & necessitate, quâ me domi vestræ viventem obligârat. Vobis autem hanc Odam inscribo, & dedico; non ut quæstum è Musis facerem, quemadmodum nundinales & minutuli Theologorum solent facere: sed ut gratitudinis, observantiæ, amorisque mei in piè defunctam matronam signa ostenderem, & promisso ipsi viventi dato me exsolverem. Vestrum erit hæc omnia, quæ in vestri omnium laudem, admonitionemque suscepta, candido animo accipere. Cumque fatali hac omnium rerum conversione, omnia ad ruinam spectare videantur, danda est opera, ut maturâ animorum commutatione ad gratiæ thronum confugiamus, nosmet abjiciamus, & sua quisque vicia & peccata incuset, confiteatur, in se descendat, se mortalem esse meminerit: & illud Augustini ob oculos ponat, cum ait: Totum hoc, quod vocatur humanum genus, omnis ista massa mortalitatis ventura est ad examen: ventura est ad libram: appendentur ibi opera hominum. Immo quilibet tribunal mentis suæ conscendat: sit sibi judex, torqueat illum timor, & metus judicii: erumpat confessio, & dicat Deo nostro, quoniam iniquitatem meam cognosco. Videmus enim quantis curis, vigiliisque tam summi, quàm infimi ordinis homines defudent, seque macerent in congerendo divitiarum apparatu, opum magnificentia,

ficentia, & ædificiorum portentosa mole in cœlos exstruenda, ita ut stultitiam opes patiantur: quas ubi adepti, porcorum more in his volutantur, animamque pro sale habentes summum in istis bonum consistere arbitrantur. Hos inquã Epicuri de grege porcos ab inexplebili habendi insaniã, & cupiditate dehortari debebat tristissima de divite epulone historia, quam D. Augustinus in quinquagenis Psalmorum passim tractat. Psalmo 48. quis te, inquit, non jocari, aut insanire arbitretur: ornas corpus: torquetur spiritus. Manducabat ille lurco preciosas epulas ore carnis: ore cordis manducabat iniquitatem. Quod apud superiores ore cordis manducabat, hoc apud inferos in illis suppliciis digerebat. Deridendi itaque sunt, qui se de mortalibus jactant, à quibus rebus plerumque aut vivi deseruntur, aut mortui eas necesse est ut deserant. Potius elaborandum erat, ut ad communem illam patriam aliquando deveniremus: ubi cum omnibus electis dominico veritatis & æternitatis bono saturabimur. Non enim ad hoc Christiani sumus, ut terrenam felicitatem petamus, quam plerumque habent latrones & scelerati. Immò maxumè elaborandum, ut cor tuum sit plenum fide; & arca exinanita auro. Noli velle gaudere in illis: in auro, veste, domo, pecunia atque prædio: sed gaude in illâ luce, de qua Servator ait: Ego sum lux mundi. Omnis siquidem homo, qui felicitatē in illis facultatibus & deliciis & affluentia & copiã mundi hujus sitam esse credit, is est stultus & perversus. Hujus enim cor inane fidei ad pœnas exit: quod fide plenum ad coronam exiret. Levemus itaque cor nostrum sursum; ne putrescat in terra. Præ cæteris vero illi, qui se majorum fumosis nonnunquam imaginibus consolantur, Augustiniana illa verba sensibus imis reponant: O homo, cor tuum sit potius arca Dei, ubi habitent divitiæ Dei: ubi sit numus Dei mens tua habens imaginem Imperatoris tui. Hæc cum ita sint, agite V. nobilissimi, fortissimi que, animos nostros sursum erigamus: & diviniore sapientiæ divitiis hosce instruamus, omnesque cupiditates deponamus, ut tantò expeditius in immortalitatis arcem evolemus, ubi anima nostra implebitur saturitate; quiete & sempiternâ felicitate; ubi nullus dolor futurus: quia unde doleamus, non erit. Resurget enim, & mutabitur caro nostra: & cum mutata fuerit in spirituale & immortale corpus, jam nullis terrenis concupiscentiis implicita hæsurâ: nec a Dei recessura contemplatione: quippe in angelicum caro demutata habitum, cœlestem adsumtura gloriam: nihil relinquetur vel in animo, vel in corpore, quod insurgat adversus
amorem

amorem Dei : plena victoria, plena pax, ibi vita, ibi dies sempiterni. Hasce tandem consolationis, admonitionisq; corollas ex Augustinianis sententiis conferere placuit. Quamobrem a luctu nobis temperemus, & dum tempus adhuc pœnitentię concessum ad felicem emigrationem nos apparemus. Hoc ut fiat, animis prius Christi sanguine expiatis, collustratisque Deum ipsum ter Max. sancte invocaturi. Bene valet Crailsheimeri V. nobiliss. & hæc non tam vobis quam aliis vestræ gentis hominibus scribta dictaq; existimetis. Data in castro vestro Nonis Iunii. Anno C. N. M D XCI.

V. nobil: dignit.

colens

Fraxineus.

ODA

B

O D A:
A D T V M V L V M N O B I.
L I S S I M A E C L A R I S S I M A E Q V E
M A T R O N A E A N N A E W E R N A V I A E V I -
d u æ C r a i l s h e i m e r o r u m F r a n c o r u m M i l i t .
g e n t e o r i u n d æ .

L V g e t e m e c u m : p o n i t e l a u r e a
V o s f e r t a N y m p h æ : c a r m i n e n o b i l e m
D e f l e t e m a t r o n a m : q u e r e l i s
C o c c a r e p r o s e q u e r e a t q u e f a x e .
E s t d i g n a c e r t è h a c c a r m i n i b u s c a n i
M a t r o n a , q u à n o n n o b i l i o r f u i t ,
A N N A u n a l u m e n f e m i n a r u m ,
G l o r i a v i r g i n e i q u e c æ t u s .
Q u i s c r e d i d i s s e t g e n t i s o c e l l u l u m
L e t h i i n v i d e n t i s f a l c e c i t o a b r i p i ?
A t q u e e v o c a r i l u c e f e s t à
S a n c t a m a n i m a m g r a v i o r e m o r b o ?
Q u o d q u i s q u e v i t e t , n u n q u a m h o m i n i s a t i s
C a u t u m e s t i n h o r a s . m o r s v e n i t o c y u s
S p e , s æ p è & i m p r o v i s a s e c u m
S u r r i p i t , & t u m u l o r e c o n d i t ,
Q u i l o n g a v i t a p o l l i c i t u s b r e v i s
(S i c e d o c e m u r) f i l a : c e l e r r i m a
V i s n a m q u e l e t h i : n o n r e t a r d a n t
I n d o m i t a m p i e t a s , f i d e s q u e .
D e t e r m i n a v i t s c i l i c e t o m n i b u s
P u n c t u m v e l h o r a , q u i m a r e t e m p e r a t :
C a l o i s r e c o n d i t P h æ b u m , & i d e m
M a n e r e d u c i t e q u o s v o l a n t e i s .
T a n d e m h a n c r e s p e x i t c o m m i s e r a t i o
D i v i n a : f i n e m r e b u s & a t t u l i t
P e r i c u l o s i s , n o l u i t q u e
D i f f i c i l e m t r a h e r e h a n c c e v i t a m .
V e r u m

Verùm unde laudes incipiam lyrâ
 Pertexere huius? materies datur
 Non parva, matronam sacrare
 Fas erit eximiam Camœnis.
 Praclarè de me commeruit; pium,
 Equomque. novit tractus hic: omnium
 Versatur ore: hærebit imis
 Femina pectoribus superstes.
 Sensere quid mens diva, quid indoles
 Nutrita castri sub penetralibus,
 Possset: quid hujus liberalis
 Dextera, quidve animus benignus
 In turbam egenam. constat id omnibus.
 Tristem reliquit femina neminem,
 Poscentem opem, & mentem sagacem
 Rebus in ambiguis medendi.
 Sanctè educârat mater amabilis
 Nympham hanc tenellam, persimilem sui
 Morum venustate, & pudoris
 Flore, animoque modestiori.
 Non diffitemur, quod generositas
 Quadam vetustis gentibus insita:
 Fortes creentur fortibusque,
 Manet & in sobolem parentum
 Virtus. Sed hæc sunt dona fugacia,
 Umbraque tantum: ni melius bonum
 Cælo offeratur, celsiorque
 Nobilitas animos coronet.
 Verum hancce præstat Spiritus optumus:
 Quando is beando natum hominem expiat,
 Cæloque transcribit JEHOUÆ
 Sanguine purpureo redemptum.
 Quid Christiani nomine dignius?
 Tantisque cæli majus honoribus?
 Non amplitudo parva, dici
 Fonte sacro effigiem renatam.

Ortum inde verum nobilitas trahit
Praeclara, virtus, vis, opera ardua,
Hinc fortitudo militandi
Pro grege, pro laribus pudicis.
Delecta nostra ad militiam gravem
Virgo ANNA, qualem littera postulat
Diva: ergò doctrinam salutis
Imbibit aetheream puella.
Edocta sanctè vim sapientiae
Sublimioris, mente recondidit:
Quò vita in omnem eventum haberet
Delicium pietas alumnae.
Hac voce verbi parturit inclutà,
Formatque sensim, donec imaginem
Nos consequamur Christi amicam
Interiore animo renati.
Praecedit hanc sed justificatio:
Acceptat ipsum haec totum hominem simul:
Coramque sellà judicandum
Judicii, scelerumque purum
Pronunciat, nam sola remissio
Non imputando crimina, in integrum
Sontem reducit, puriorem
Lucifero rutilante reddit.
Sic educata à matre puellula,
Hausit salutis principia aurea;
Atque usa disciplinà honestà,
Excoluit generosa mentem
Donis pudicam, quae deceant piam
Nympham; ut Minerva sunt studia, aut acu
Vel pingere, aut mollire lanam,
Texere, sive dapes parare.
In matre habebat nobilem imaginem:
Hanc audiebat ceu dominam, huic libens
Servibat, huic obtemperando,
Partem humeris onerum recepit.

Non

Non ibat auro, sive Amethystino
Velata amictu; nullaq; odoribus
 Perfudit, (ut nunc mos puellis)
 Malobathri Syrii capillos.
Simplex placebat mundicies: nitor
Quasitus omnis defuit: elegans
 Nec pulchritudo, orisq; forma
 Culta fuit, medicata fuco.
Adflat colorem puniceum pudor,
Commendat unus femineum is decus:
 Hoc culta: centum preferenda
 Dote pudicitia puellis.
Nunc una nymphas sollicitas agit
Hac cura, semet tradere luxui;
 Ornare voltus, Belgicarum
 More comas religare ab auro,
Gemmisque lectis aequore Iberico.
Quid non libido nobilium efficit?
 Hinc census omnis, redditusque
 Vertitur in muliebrem amorem
Mundumque. non sic ANNA puellula,
De more gentis culta: superbiâ
 Sibi insolenti temperabat,
 Filia ad arbitrium parentis.
Quem vult sacratum mancipium sibi
Aeterna Christi gratia, deligit
 E face mundi, separatque
 Consilio sapiente civem.
Et pone vitæ delicias breveis,
Succos amaros miscet, ut hoc modo
 Mentem avocando celsiorem
 Det spacium meditandi, Olympo
Quæ nempe ducat semita. Sic deus
Morbis tenellam exercuit invidis,
 Hujus futuris preparabat
 Deliciis animam pudicam.

Edocta verbo, quod fugiat retrò
Lævis juvenas, & decor, aridâ
 Pellente lascivos calores
 Canicie, facilemque somnum.
Matura nondum, quatuor egerat
Hei lustra virgo, & munia comparis
 Equare par, nec missa castro,
 Ludere cum teneris puellis
Prægestiebat, ceu vitulus novum
Carpens salictum. flos malè creditus.
 Vir namque falsus creditorum
 Perfidia, thalamum haud secundum
Expertus. ANNÆ non benè caverat
De dote: obortum hinc disidium, & gravis
 Luctus momordit nuptam, & irâ
 Fervere tunc animos videres
Fratris. sorori qui cupiens sua
Consultum, ut æquom. Sunt odia aspera
 Gliscuntque multò sæviora
 Sanguine proximiorè junctos
Inter. beatè nusquam agitur. domus
Inventa nusquam absque invidia, recens
 Sic nupta tempestate adacta;
 Versus amor, subiitque amaror.
Divolsa lite hac mutua amoribus
Compacta corda, & substitit in domo
 Conjux parentum luctuosa,
 Sollicitudine marcuitque.
Nympha hæ virentis delicia, ac rosa
Commota gnata sorte miserrima
 Mater, dolores mille, curas
 Pectore sustinuitque acerbis.
Laudanda mater femina prægravis;
In mente celsa justitia, & fides
 Hujus sedebant, perferendique
 Ardua vis mala duriora.

Nec

Nec gnata matre ipsa inferior; tenax
Orationum quippe erat huic labor:
Et spe levando damna, celo
Auxilium Dominum poposcit.
Tutela sic dum prestita non viro,
Alióve magna summa pecunia
Tralata frustra, perditorum
Culpâ hominum graviter dolere
Cæpit maritus, non oneri fuit
Tanto ferendo par: violentia
Morbi abstulit, nil cogitantem
Ad vada Danubii paterna.
Sic ANNA mæsto frigida lectulo
Deserta, luctu se miseram gravi
Confecit, angorumque mole
Materiam addidit adgravata
Morbis, in artus transiit, & dolor
Fessam occupavit: marmore purior
Hei forma cecit, cecit omnis
Ingenii vigor, & venustas.
Solata semet matre superstite,
Exemplum ad hujus composuit suam
Vitam decentem, turturisque
Morem imitata, domi remansit.
Non hanc voluptas, sive recens amor
Fregere solam: mascula restitit,
Contenta parvo, continentem
Excoluit sine labe vitam.
Vni huic pudoris flos decori fuit;
Matrona fulsit dote sacerrimâ hâc:
Fovitque parcâ quod dabatur
Sorte manu, placitis relictis.
Vixisset inquam commodius, viro
Si flos juventa tactus ab altero:
Non defuere huic elegantes
Nobilitate pares amantes.

Culpam

Culpam hanc avari sustineant: luant
Commissa: Serò pœna tamen venit:
Punitque commissam in sorores
Invidiam Nemesis severa.
Iram timebat femina lividam,
Hinc credidit se non thalamo novo:
Sed sola permansit virago,
Digna quidem meliore vitâ.
Orbata tandem matre miserrima,
Curas paternâ sustinuit domo;
Rixasque mordaces coacta
Pro meritis pia devorare.
Sic fœrum acervo nectar apis legit:
Parto fruuntur fuci alii. nihil
Proh æquitatis, sive juris
Cernimus orbe super relictum.
Non femina hujus carmine persequar
Virtutum (ut æquom) materiam gravem:
Hæc semetipsam vitâ honestâ
Extulit, atque sui reliquit
Quàm plurium vestigia dotium.
Vivit superstes gloria: non perit;
Candorque, vivit morum honestas,
Et studium benè demerendi.
Sedare prudens semina litium
Inter propinquos. cedat Abigail
Conjux propheta, cedat Esthra
Cæsareis redimita gemmis.
Huic celsior mens, atq; serenior
Lustrata Christi lumine, Spiritus
Templumque divi, castitatis
Signa proba undiq; comprobavit.
Nec spuma in hujus religio fuit
Nymphæ ore: verum concita alacritas
Ardorque, verbum mentis unum
Delicium atq; cibum docebat.

Nam

Nam mane quovis vota sacerrima
Matrona solvit: seque humilem Deo
Confessa, culpam deprecata
Spem venie retulit petitam.
Matrona volvit diva volumina,
Christique mentem edocta, per omnia
Quaerivit, in se quove voltu
Esset, & hunc venerata pure.
Culturâ ab isthac plurima commoda
Hausit: refecit mentem humilem ac piam
Divâ hac saginâ: crevit illi
Spiritus interior: JEHOVÆ
Se mancupando, noverat hoc modo
Hostes fugari Dæmonas improbos,
Tutamque reddi incursione
Et gravibus jaculis tyranni.
Spes omnis hujus sanguine in incluto
Christi sedebat; se chlamyde aureâ
Velabat, & lustrata ovabat
Latitiâ, veniente calo.
Hinc perferebat pectore masculo
Vim savientem calculi, & impetus
Convulsionum, partiumque
Insolitam rabiem abditarum.
Exercuere hac duriter hei satis
Adversa; rarò vidimus optumam
Frontem explicare, & letiori
Ferre animo tacitos dolores.
Factum hoc JEHOVÆ consilio gravi.
Non ociosis gratiam amabilem
Offert: in adflicto potestas
Vult habitare Dei recessu.
Mentes gravatas casibus asperis,
Morbisve, duro aut exsulio Deus
Vultu intuetur mitiori,
Latitiâ accumulat jacentes.

C

Sic

*Sic ANNA semet cottidie Dei
 Solata divo sanguine victima;
 Vtensque cœna, præparavit
 Majus ad imperium beate.
 Huc se ferebat leto animo: hocque erat
 Votum. morandi non animus diu
 Ergastulo isthoc, sive vinclis
 Corporis habitare havebat.
 Norat repostam sanguine in incluto
 Omnem salutis spem, decus ac suum,
 Solata & his matrona semet,
 Ibat ovans animo parato
 Ad perferendum injecta pericula,
 Vitaque sortem lubricam, & impetus
 Occultiores, quos tyrannus
 Militibus parat evocatis.
 Insanientis colluvie gregis.
 Nam bella Christi civibus horrida
 Sunt sustinenda, & militandum
 Contra Erebi furias timendas,
 Sese erigebat justitiâ unice,
 Quam comparavit victima regia,
 Cum factus exsecrandum in arâ
 Pro scelere omnium ehei piaculum.
 Audita (testes sint famula) pia
 Hac vota, quando Lucifer emicans
 Se sustulit, caloque voltum
 Occuluit roseum cadente.
 Non heic morabor longius: athera
 Ducente Christo per liquidum ferar,
 Exosa terras. vanitatum
 Omnia sunt odio. facessant.
 Terras relinquam, non ego paupera
 Victura: dives verum opulentia
 Me gratiarum amplexa sistet
 Limine candidiore cali.*

Pro

Pro me redemptor maximus omnium
Sudavit, & me sanguine nobili
 Nil tale quidquam commerentens
 Restituit, precio salutis.
Jam sancta letor portio, & exsilit
Pra gaudio mens: nil timeo minas
 Lethi, vel Orci, Dæmonumq̃:
 Quid faciant mihi vindicatæ
De tot catenis hostium? Iò Deo
Parere pulchrum: iussa libens sequar
 Tanti imperantis. Sponte obibo:
 Corporis exuviasque linquam.
Sic Christus ad me, credite credite
Verbo eloquutus, sum via, sum salus,
 Verique lumen, tu prehende
 Præsidium ac columen perenne.
Quicumque firmâ me capiet fide
Inire sedes hunc ego lucidas
 Donabo, & adscribi sacratis
 Ordinibus patiar renatum.
Terris morari non libet amplius:
Tu Christe membris exue spiritum,
 Emancupatum augustiori
 Evehito precio cruoris.
Hac verba coram sæpius edidit:
Audita crebrò; BARBARA quàm soror
 Tecum peractum perbeatè,
 Libera namque malis triumphas.
Me cura inanes, me querimonie
Luctusque vexant, sunt lacrumæ cibus:
 Silentio sunt suppressenda
 Plurima: vincita Adamante corda.
Fœcunda culpa secula cernimus:
Famesq̃ habendi: marmora si forent,
 Fastus pararet digna rege
 Atria, magnificasq̃, turres.

Aurum omne thecis congeritur: placent
Gemma nitentes, Chrysolithi nitor,
Sapphirusq; collucens, Jaspis
Ceruleus, Smaragdusq; pulcher.
Bacca eliguntur littore, & aureis
Punctis secantur vestibus illita:
Regina non ornata tanti,
Qualis erat Cleopatra Nili.
Desiderantem plurima feminam
Noctu fatigat dira cupiditas:
Non hujus ardorem fugaret
Coccarus ipse refertus auro.
Linguenda verum talia. mortua
Vix pullam habebit: nec datur amplius
Spectare acervos auri, opumque
Divitias operosiores.
Has ANNA voces saepe dabat gemens:
Exculta donis femina regis:
Vix huic parem inter mille nuptas,
Virgineamque dabis coronam.
Vultu pudorem, moribus, & gravi
Incessu in omneis pratulit aureum:
Nunc castitatem consecratam
Secum habet, in tumultoque servat.
Sic judicata est nata Paterculi
Dono pudoris nobilis omnium:
Vxorque Paulli Flacci honestum
Post sua fata decus meretur.
His ANNA longe clarior, à Dei
Adflata quippe hac numine calico:
Vixit pudicè: castitatis
Femina condecoranda lauru.
Æquam gerebat rebus in omnibus
Mentem, superno concita spiritu:
Laboriosa plena vite
Femina, non animum remisit.

Infracta

*Infracta mens huic femineam super
Sortem, in malorum fluctibus horridis
Eluxit: & morborum in ipso
Vis patientie acerbiori
Confliktu, orabat spe citius Deum
Promptum ad futurum. nec mora, cum diu
Optasset horam transvolandi
Aethera, lux aderat petita.
Inter dolores calculi acerbius,
Membris solutis, exanimem citò
Nos vidimus, numen ipsum
Cum prius omnipotens vocasset.
Bis dena vitæ lustra peregerat,
Ter circuit Sol aureus orbitam,
Orbesque Phæbe emensa septem,
Flos ubi concidit iste gentis.
Factumque credo lucibus his sacris
Fato, evocari nobile tam decus:
Tibi Spiritus cum solveremus
Mente humiles venerati, honores.
Ignes ut inter Luna rubens nitet
Celi minores: sic decus aureum
ANNA una fulsisti pudore,
Et pietate, fide in maritum.
Quis liberalis munera dextera
Multis egenis præstata carmine,
Quis promptam opem, mentemq; amicam
In miseros satis explicabit?
Amiffa Phæbe gentis, honoribus
Illustris, & tot prodiga dotibus:
Non huic parem tractus daturus:
Vivet honos, pietasq; vivet.
Et prona voltu femina concidit:
Natura visa est parcere nobili
Hujus pudori, cujus ævi
Flos sine labe peractus omnis.*

Vnita Christo nunc anima incluta,
 Vivit beatam vitam, inopem metus,
 Lethique, curarum, quiete
 Perfruitur sine fine amicâ.
 Subtracta terris, exsulio & gravi
 Periculorum, totque laboribus,
 Collecta ad augustam coronam
 Calicolûm, Dominum intuetur.
 Hujusq; castus Spiritus accubat,
 Vinculis solutus, proximus omnibus
 Regi imperanti, seque pascit
 Lumine vivifico JEHOVÆ.
 Submota, non jam curat, adulterâ
 Num peccet heres, litibus aut domos
 Turbetur ob mendica frustra:
 Despicit has Dea facta sordes.
 Num parcus aut sit cultor & infrequens
 Magni JEHOVÆ sollicita haud super:
 Subducta ab omni vanitate
 Sancta anima & scelerum expedita
 Sentinâ. in ipso suaviter accubat
 Mens diva CHRISTO, totaque puriter
 A Spiritu lustrata sancto,
 Concilio superûm immoratur.
 Erepta vivit calituum in domo,
 Purumque numen lumine in aureo,
 Jam Spiritu formata, curis
 Libera ab omnibus intuetur.
 Nunc spes & albo sancta fides sinu
 Velata panno molliter hanc fovent.
 Victoria huic Christi virentem
 Porrigit emerita coronam.
 Non causa belli, non vicia, aut metus
 Divam fatigant, sive amor oblitus
 Fuco, gravesque injuriarum
 Sollicitant animam tumultus.


Exuta

*Exuta carnis femina carcere
Diva ANNA, numen magnificum aspicit
Coram voluptatumque mille
Deliciis inhiat paratis.
Delectat hanc jam vis sapientie
Immensa: presens spiritui Deus
Intaminato luce opimâ
Adstat, & accumulât receptam.
Agnumque circum militia chorus
Augustioris carmina concinit:
Mille & triumphos, mille solvunt
Carmina letitiarum in aulâ.
His mista pars nunc facta serenior,
Cum matre & ipsa virgine BARBARA
Christi decoro expleris ore,
Et jubare aethereo triumphas.
Pax alma vosmet sospitet, & quies
Aeterna: donec corruat aetheris
Absumta ab igni, prepotenti
Machina voce Dei, tubaque
Clangore surgant condita corpora:
Tunc una in auras nos anima, invicem
Adfabimur pulchrè novati,
Secula mille trahemus unâ.
Hos ANNA luctus, has lacrimas cape,
Testes amoris, quando vocant, sequar
Me fata: Christo obtemperabo
Ad meliora vocante sceptrâ.
Heic nulla vita est: omnia luctuum
Sunt plena: tecum Christe obeam libens,
Tecum voluptas commorari,
Teque Deum celebrare plectro.*

*Modulata
Nonis Junii, ad ardearum nidos.*


EPITA-

EPITAPHIUM
DEO T. M. MANIBVS QVE
P I I S S.

 NNA WERNAVIA ANTIQVISS. FRAN-
CORVM GENTE ORIVNDA, SEBASTIA-
NO CRAILSHEIMERO, & ANNA CVSPI-
NIANA PARENTIBVS NOBILIBVS PRO-
CREATA A^o. C. N. c^o I^o XXXVII. IIII. CAL.
NOVEMB. HORA V. M. SACRAE TRIADI SACRA-
MENTO OBLIG. LAVACROq; REGENERAT. EX-
PIATA, PIETATI VBI ADOLEVIT ELEMENTIS,
OMNIVMQVE VIRTVTVM apparatus polita à matre
feminâ graviss: ætatis anno XIX. IOANNI HECTORI
WERNAVIO NOBIL. Rheto desponsa: conjugium non
ex voto: Secundò è marito parens facta, inque ipso flore
constituta anno ætatis XXVII. vidua reddita: matrem
biennium post amisit sui amantissimam: inde variis fortunæ
telis exposita, & impedita, quò minus ad secundas transiret
nuptias, illustris in Deum pietatis, fidei, spei, patientiæ, in-
vocationis, continentiæ, castitatis, sobrietatis, liberalitatis,
humanitatisque ornamentis supra mortalium famam, toti
familiæ prælucendo & exemplo, DEO CERTE cara; suis
amabilis, totique genti decòri: purioris religionis, probita-
tis, & pudicitæ fulgore instar Hesperii præ cæteris sui ordi-
nis, locique, avaritiæ luxus, & portentosæ superbiæ mancu-
piis feminis eminentior, inter exquisitos calculi, & convol-
sionis dolores IESV CHRISTO DEO & homini ter Max.
cui se unice beata matrona consecraverat, invocato, paraly-
si adfecta, vitam cum morte trium frat. nobil. in conspectu
lacrumantium commutavit IX. Cal. Iunii, hor. v. matuti.
cum vixisset annos LIII. m. VII. d. XII. Denique ma-
gno cum suorum luctu, desiderioq; populi humata in tem-
plo Lendsideliano, pone matrem, fratrem Georgium, &
Barbaram virg. nobiliss. collocata, gloriosam sui corporis
immortalitatem claritatemq; à Christo expectat.

H. M. N. L. M. Q. L. N.





IS FRAXI-
HANI POE-

ati Oda: Kf 130

BITVM

IAM QVE

MÆ LECTIS-

RONAE, ANNAE

antiquissimâ & cla-

nerorum Franc.

liâ oriundæ,

luæ,

VNCTAE:

ID XCI. IX. Cal.

Mörinsteinii ad

Fr. orient.



ERGAE,

aphica Gerlachiana,

